LECTORI S. AUTHOR.

Nil pulchrius, nil magis utile & neceſſarium in Botanicis deſideratum & inventum eſt, quam Syſtematica plantarum Methodus, quæ ignarum in vaſto Vegetabilium Regno conſtitutum recta ducit ad deſideratam plantam ejuſque nomen. Quid umquam Botanica vel quis Botanicus abſque methodo? Plantarum nominumque copia tanta eſt, ut niſi, exemplo ab exercitus Duce ſumto, diſponantur in Phalanges, Phalanges dividantur in centurias, centuriæ in Decurias nulla umquam habeatur certitudo. Mirum quantum Methodus facilitet Scientiam, alias plane inexhauſtam. Offeratur planta peregrina & incognita duobus Botanicis, quorum alter Empiricus ſyſtematum ignarus, alter vero Syſtematicus. Empiricus ille a facie divinare tentat familiam, omnem memoriam revocat, utrum ejuſmodi plantam antea viderit, Herbaria ſua pervolvit, omnes libros præſertim icones nocte dieque revolvit, neſcius ubinam inter tot millia plantarum, vel in quo Auctore hanc reperturus ſit; Syſtematicus vero aſſumit methodum quamcumque ſibi notam, evolvit clavem methodi, collato eodem cum partibus fructificationis Claſſem enuntiat, quo facto (ponamus 10000 ſpecierum plantas dari) 9000 plantas ſeponit, inter quas fruſtra plantam oblatam quæreret, adeoque reſtant 1000, inter quas hæc unica erit; evolvit dein claſſem & inquirit ad quem Ordinem pertineat, eo dato 900 iterum ſeponit, ut modo 100 reſtent; in ordine Genus inquirit, quo reperto una ex decem erit; Species dein ſecundum differentias diſtinguit facile, adeoque intra momentum temporis plantam maxime peregrinam detegit Syſtematicus & nomine ſuo indicat, quam Empiricus non per annos, niſi

niſi caſu expiſcatur. Hinc non ſatis commendare queo Tyronibus, ut Methodici evadant, ſtudium brevi tempore abſolvendum aſſumant; ſi enim non a teneris methodo aſſueſcunt, nec facile dein eo ducuntur.

Methodos itaque propoſui, quas novi omnes, ut Tyrones ab initio ſeligerent facillimam primo, eique inſiſterent; dein ſenſim reliquis.

Syſtemata in Botanicis varia ſunt, alia a fructu, alia a petalis, a calice & ſtaminibus alia confecta, ſed omnia in eundem finem & ſcopum collimant, ut ſcilicet Botanophilum ad genus compendio ducant; in eo tamen differunt, quod aliæ methodi magis commodæ ſint, aliæ in hac vel illa claſſe magis faciles vel certiores; aliæ magis univerſales, tamen communiter unica & ſingula aliquid ſibi proprium obtinuit, quod non æque facile in reliquis datur, hinc omnes addiſcendæ ſunt.

Syſtemata alias duplicia ſunt, Artificialia & Naturalia; NATURALIA dicuntur quæ Claſſes naturales ſervant, in quibus claſſibus nullæ admittuntur, niſi quæ inter ſe affines ſunt plantæ, tota facie & natura convenientes. ARTIFICIALIA vero conſtant Claſſibus, quas ingrediuntur varia indiſcriminatim plantarum genera, inter ſe toto cœlo diverſa, niſi quod conveniant unica iſta nota Claſſi a Syſtematico præfixa. Artificiales methodi longe faciliores ſunt, cum in iis Author regulas plantis præſcribit; in Naturali vero Methodo notas quas natura ſpeciales, his non illis impoſuit plantis, inquirere debet Syſtematicus ſummo negotio. Methodus naturalis adhuc detecta non eſt, Fragmenta dedi pag. 485; ſed ſunt Methodi in quibus aliquæ claſſes naturales reliquis immixtæ cernuntur, & ſunt etiam methodi in quibus nulla Claſſis naturalis conſervatur; perpetuum eſt, quod methodus artificialis ſit tantum naturalis ſuccedanea, nec poſſit non cedere naturali, ſi detegeretur; hinc ortus fuit tantus rumor inter Botanicos ſyſtematicos & diverſas ſectas, tot lites,

jur-

jurgia & opprobria; credidere methodis magis naturalibus addicti, se tenere methodum veram naturalem, reliquosque omnes errare; Alias vero propugnantes methodos, regerunt, naturalem illam difficillimam esse, suam vero facillimam, certissimam; uno verbo nescio quid fascinat homines, ut non possint alteram methodum videre absque perturbatione; potius legunt libellum secundum A. B. C. scriptum, quam secundum notas aliquas plantæ; credo vix aliud, quam Botanici ad unam methodum dispositus a teneris animus; optandum itaque foret, tyrones omnibus ut assuescerent methodis, ut nugæ istæ semel evanescerent; si enim genera naturalia sunt, si illis non vis infertur, non falsa conduntur, si notæ non extra fructificationem petuntur systematis, res certo eodem redit.

Habes itaque hic Lector *omnes* methodos una simul, quas alias non sine sumtibus, ex tot auctoribus comparatis obtineres.

Habes hic methodos omnes in *compendio*, quas alias per integra volumina distributas colligeres.

Edidi itaque has methodos, ut Tyro quam primum adgrederetur Botanicem, haberet normam, secundum quam suas dissectiones florum institueret; quanti enim emolumenti mihi adhuc Tyroni hocce fuerit, expertus novi.

Habebunt & in his simul observata omnia primaria a Systematicis detecta Botanici.

Postquam examinaverint juniores Botanici plantas secundum omnes methodos, apti sunt ad ferendum matura de singulis judicia, quæ tam raro alias occurrunt, cum communiter apud omnes unica in pretio sit methodus, reliquæ autem minus.

Possunt

Possunt & Tyrones, si plantam in uno alterove systemate non reperiant, mox tertium, quartumve evolvere; non enim omnibus Botanicis eadem nota fuere genera.

Methodos antea maxime distinxere nomina generica diversa, hinc consilium inii, pro synonymo meum nomen genericum ubique addere, ut cognito meo, mox intelligeretur alterius cujusvis Authoris genus.

Ex addito dein meo nomine pro singulo genere in quacunque methodo, si nostra adeat studiosus genera, characteres reperiet, qui sive Author methodum ex fructu, sive quacunque floris parte sumserit, inserviant.

In indice, quem non sine labore conscriptum cum Botanicis communicare voluit Vir mihi Amicissimus, si nostrum nomen genericum evolvis, inde perspicies a quibus systematicis singulum genus descriptum fuerit, quibusve prætervisum; evolutis paginis dein reperies, sub quo nomine apud singulos venerit, & a quibus laceratum fuerit. Evolvat Tyro secundum indicem, in quacunque methodo notam plantam, dein secundum subdivisiones procedat, si non succedat, recurrat a nomine noto, & facile inveniet proprium suum vel Authoris defectum.

Dabam Lugduni Batavorum 1738. *Martii* 20.